

1726, 6 25  
FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI  
DECANVS,  
JOH. HENRICVS  
*Meier*, JCVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

*LECTORI BENEVOLO*

S. & O.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.



FACULTATIS IURIDICAE

IN ALMA MATER UNIVERSITATE ERFORDIENSIS

DECANVS

JOH. HENRICVS

RECTOR

LECTOR R. G. M. CONSIL. DECR.

P. A. L. PROF. P. V. B. L. UNIVERSIT. SENIOR

NEG. NON IUDIC. PROVINC.

ASSIST. PRIMAR.


LECTORI BENEVOLO

S. & O.

THE GROSCHMANN, ADP. THEOPH.







Onjugium describit Modestinus in  
*l. 1. de rit. nupt.* quod sit confor-  
tium omnis vitæ divini & huma-  
ni juris communicatio, adeo ut nul-  
la res sit, quam alter conjugum al-  
teri non communicet & cujus in-  
ter eos non sit promiscuus usus, ut

in hunc sensum admitti possit illud, quod Plutarchus  
sentit in legibus connubialibus, cum ait: prohibitam  
legibus inter conjuges donationem, ne alter ab altero  
quid accipiat, sed ut omnia inter se communia esse du-  
cant; quod autem in sua descriptione supra Modesti-  
nus tanquam ethnicus addit, de communione divini  
juris intelligi debet de sacris privatis, seu idololatriâ  
familiari; quod & Valerius sensisse putatur *lib. 2. cap. 1.*  
ubi tradit, quem per matrimonium posse in alterius  
familiam & sacra transire. Similis loquendi mos ad  
alia etiam extensus est, ut si per emancipationem è fa-  
miliâ & patris potestate exiit, dicitur vinculis sacris ex-  
solutus *l. 1. Cod. de offic. Prætor.* Non tamen per ma-  
trimonium contrahitur vera & legitima societas, neque  
alteri alterius res distrahere, quamvis interveniente

( 2

houp

gra-



gratuitâ causâ licet, quippe disertè prohibita est inter  
conjuges donatio; quod vel ex allatâ suprà descriptione  
evinci posset, si non momentosiores causæ prohibi-  
tionis proditæ essent tam Jure civili, quàm Pontificiâ  
lege: illo, sub titulo *ff. & Cod. Hâc verò arg. cap. 16. X.*  
*eodem.* nimirum postulante id tum honestate, ne ma-  
trimonium potius spe lucri & metu divortii, quàm  
vero amore contineatur, addoque nec venale existe-  
ret; tum utilitate, ne conjuges sese spolient mutuo  
amore, profusâ erga se liberalitate & concordia pretio  
conciliari videretur, altervè in paupertatem incideret,  
altervè deterior ditior fiat. *l. 1. 2. & 3. cit. tit. ff. d. tit.*  
Aliàs omnes contractus inter conjuges sunt liciti &  
quodvis negotium b. f. gestum, *l. 7. §. 6. eod.* Ad spe-  
cialia hujus materiæ pergere, angustia spatii non permit-  
tit. Addatur igitur quod principaliter intenditur; nem-  
pe postposito stylo hæctenus recepto,

*Nobilissimus & Clarissimus Candidatus*  
DN. GEORGIUS AVGVSTVS DATHIVS,  
Sereniss. Duc. Saxo-Weiffenfelf. Camerae  
Procurator,

expetivit, ut cursum vitæ huc usque, clementiâ di-  
vinâ continuatum, uti eum Ipse suo nomine decli-  
neavit, subjiceretur, atque ipsi deesse noluimus, mo-  
dò id, quod publicæ fidei loco exprimendum, prima-  
riò præmittatur. Quàm primùm igitur Ille ipse Nos sa-  
lutarit honestumque suum literis propositum nobis de-  
clararit, se ambire summos in Jure honores, eaque  
propter desideravit edere specimen suæ habilitatis, id  
denegare non licuit, sed admisimus ipsum ad Examen,  
quod



quod secundum Statuta Facultatis rigorosa indagine incundum, difficiliore igitur textus, nimirum ex Jure Canonico *cap. Cum monasterium 1. X. de confessis.* ex Civili autem *L. Si non. 26. ff. de condict. indebit.* selegimus, atque Ipsi commississimus legalem & accuratiorem illorum exegefin; Ipse nostrae expectationi abunde satisfecit, & quemadmodum in hoc actu primordiali sese probavit capacem, sic quoque in subsequenti principali, puta in ipso Examine prompte ad quaesita & erudite respondit, ut quilibet Nostrum contentus ipsum declararit dignum Juris Candidatum, sed quoque consenserit, quod pro Cathedra publice declarare, Cursoriae lectionis vice, spinosum textum in *L. 55. ff. de donat. in vir. & uxorem*, atque Inauguralem Disputationem DE PROBATIONE DOMINII PRAESERTIM IN SAXONIA ELECTORALI HAUD DIFFICILI, sine Praeside solenniter auspicari possit. Quos actus publicos Magnificus & Reverendiss. Universitatis Rector, Ejusdemque Proceres & lectissima Studiorum Corona 31. Maji, ao. cur. in Auditor. Jur. Colleg. maj. cohonestare dignentur, *resp. submisere*, officiose & humaniter invitantur, etiam atque etiam rogantur. Publ. Erfurri sub Sigill. Fac. Jurid. Festo Assens. Domini, 30. Maji, MDCCXXVI.

Ipsium vitae curriculum sic habet:

Dum viam explicandi anteaetate ingredior cursum vitae, grata, fateor, & ingrata quoque subit temporis praeteriti recordatio, scilicet quam varie jam dum me traxerint, utut annis non adeo fata gravatum, pia subinde mecum perpendens mente. Natale solum mihi praebuit Leucopetra, in quo A. R. S. MDCC II. die XIV.

April.



Apert. lucem primùm aspexi. Parentem habui Virum  
Prænobilissimum Consultissimum atque Amplissimum,  
Dominum GEORGIVM GVILIELMVM DATHIVM,  
Potentissimo Poloniarum Regi & Electori Saxoniae à  
Consiliis Commissionum Steueralium, cujus spatio tot  
addat Summum, quod humillime veneror Numen an-  
nos, quot ipse, hoc ita iubente, inter ardentis quon-  
dam & satis indefessos labores (hoc enim præfiscinè  
dictum omnes illorum temporum norunt æquales)  
huc usque transegit. Mater est Honestissima, quam  
in vivis amo, & ad cineres usque colam matrona, RA-  
HEL, pietate, virtutum omnium radice, & probitate  
omnino spectatissima. Inter paternæ stirpis majores  
nomino avum, Dominum DAVIDEM DATHIVM,  
filium Domini LIBORII DATHII, Camerarii & Sena-  
toris Rochlizensis; aviam vero ANNAM CATHARI-  
NAM, filiam Domini HENRICI DE ELTERLEIN &  
CATHARINÆ stirpe de BERNECK oriundam; in Li-  
nea materna ascendente avus fuit Vir Nobilissimus  
Clarissimus atque fortis Dn. AVGVSTVS MEVSE-  
LIVS, *Serenissimo Electorali JOHANNI GEORGIO IV.*  
beatissimæ memoria Principi inter multos charissimus,  
magister equitum itemque magister divertiorum ca-  
strensium totius exercitus Saxonici; proavus vero Do-  
minus AVGVSTVS MEVSELIVS Camerarius & Senator Leu-  
copetrensis, & avia matrona gravissima, CHARITAS,  
Viri Nobilissimi, Amplissimi, & Clarissimi Domini JO-  
HANNIS HANISCHII præfecturarum Naumburg & Schön-  
burg Præpositi filia. Jam recens natum optimi Paren-  
tes purioris doctrinæ Christianæ fontibus, adultâ post  
ætate singulis scientiarum elementis curaverant im-  
buen-



buendum. Ut id opportunè magis fieret, tradiderant me scholis privatis proprios inter parietes singulari præceptorum cura efformandum; & cum studiis juridicis à Genitore Venerando jam dum dicatus videbar, negotiis vero practicis ipse adhuc obrutus erat, crescente nunc judicio ipsa rerum argumenta familiaria mihi reddere licebat. Est, de quo jam cum maximè eum vernerer, probe scilicet gnarus, quantum utilitatis ad me ipsa deinceps tractantem in Academiis Jura retundarunt. Sed enim illud intereat, quòd studia humaniora eo ipso videbar neglexisse, cum privata illa & domestica cura Dni JOH. DAVID. SCHIEFERDECKERI, SS. Theol. D. & P. P. Leucopetr. fatis suis jam ante functi, quippe aliis tum negotiis magis vacantis, parum esset sufficiens, quo quidem cognito *Parens Optimus* institutioni Viri Maxime Reverendi Domini JOH. GODOFREDI LEONIS Illustr. Augustei Leucopetr. P. P. atque Conc. Aul. me per annum & quod excurrit tradiderat, cui ob singularem illam fidelitatem, quam in erudiendo semper præstitit, gratias nunquam non habeo promeritas. Rursus incommodum maxime videbatur, tempus, omne potius impendendum studiis abeundo & redeundo consumere, parente scilicet venerando in cœnobio Langendorffiano tum commorante; accedebat & hoc, quod ob negotia Processuum expedienda vix ac ne vix quidem ea qua par est industria literas humaniores familiares mihi reddere possem; hinc Portam Illustrè illud Afraneum prope Numburgum me contuli, ubi Extraneus, termino enim Portensi uti liceat, inter privatos publicosve parietes audivi docentem Virum Prænobilissimum atque Clarissimum Do-  
mi-



minum JOH. DAVID. SCHREBERVM maximi ingenii Virum, qui cum ceteris Dominis Præceptoribus, quos merito adhuc colo, ita efformavit nonnisi duorum annorum & trium mensium spatio, animum, ut illo suo fore dignus nunc videbar, qui ad altiora progredere- tur. Sic ergo me excepit Vitemberga, quæ uti princeps est purioris doctrinæ sedes; ita magnis semper JCtis præ aliis eminuit. Pependi ibi per duos annos ob ore Virorum Magnificorum atque Excellentissimorum WERNBERORVM, BASTINELLERORVM, MENCKENIORVM, SPENERORVM, KEMMERICHORVM, KRAVSORVM, HASSIORVM, BRENDLIORVM, inter publicos partim, partim etiam privatos parietes Jus Naturale, & Civile, docentium. Deinde cum in omni Jurisprudentiæ parte curatius optarem instrui, Halæ Saxonum per annum singulari cura audiivi Viros Illustres à LVDWIG, THOMASIOS, GVNDLINGIOS, de Jure Publico, Canonico, Feudali immò & Civili Romano parietes intra privatos eruditè & propria ipsis ratione differentes; Tum Leucopetram regressus, quia fata præter intentionem meam id volebant, Practicis negotiis proprium me dedi. Sub finem anni præteriti Serenissimus Princeps Saxo-Weiffenfelfensis Dominus CHRISTIANVS, Dux Saxonix, Juliaci, Clivix & Montium, Angariæ & Westphaliæ, reliqua &c. Princeps & Dominus meus clementissimus Procuratorem Camerae me constituit; quo quidem munere eatenus ritè defungar, quoad Summo istud Numini placuerit; quocunque enim fata me deinceps etiam trahent retrahentque pia mentesequar. Dab. properante calamo Erfordix d. 29. Maji MDCCXXVI.

(L. S.)



Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle

005 367 786

3




VD18









25

1726,6

FACULTATIS<sup>1726,6</sup> JURIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,  
JOH. HENRICVS  
*Seier*, JCVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO  
S. & O.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.

